



## SODALITAS LATINA MEDIOLANENSIS

---

<https://www.facebook.com/groups/latinasodalitas/>  
joannescarolusrossi@fastwebnet.it  
luca.gandolfi1@studenti.unimi.it

---

### ERASMI ADAGIA de gloria, rusticitate, corruptione quae in vices anno MMXVI in aedibus Ambrosianis explanantur

---

**Ante diem XV Kalendas Apriles**

---

*Reditur ad Erasmus, aliquandiu a sodalibus neglectum, atque haec praeleguntur adagia de divitiis, moribus corruptis, plurium suffragiis:*

- *Dives aut iniquus est aut iniqui haeres (847);*
- *Auro loquente nihil pollet quaevis oratio (2216);*
- *Corrupta judicia (2208);*
- *Sutorium atramentum (2474);*
- *Plurium calculus vicit (3244).*

*Inde materia suppeditatur ad tempora ipsa nostra consideranda...*

---

---

Divus Hieronymus<sup>1</sup> ad Hedibiam<sup>2</sup> scribit in hunc modum: *Unde et illa vulgata sententia mihi videtur esse verissima "Dives aut iniquus aut iniqui haeres"*. Quodsi verum est illud Hesiodium non omnino temere esse, quicquid vulgo dicunt mortales<sup>3</sup>, proverbium hoc haud oscitanter expendendum est iis, qui suis opibus stulte se jactant. Neque enim fere parantur ingentes opes sine fraude. Et aut ipse possessor eas per fas nefasque congessit, aut certe successit ei, qui has ea paravit via. Plato libro De legibus V : Ὅστε ὁ λόγος ἡμῖν ὀρθός, ὡς οὐκ εἰσὶν οἱ παμπλούσιοι ἀγαθοί, id est *Ita verum est, quod vulgo dicimus admodum divites non esse bonos*.

Circumfertur apud Graecos et hic versiculus ex Menandri comoediis<sup>4</sup>:

Οὐδεὶς ἐπλούτησε ταχέως δίκαιος ὢν, id est  
*Numquam vir aequus, dives evasit cito.*

Huc respexit ille, qui Sullae jactanti sese dixisse legitur: *Quomodo vir bonus esse potes, qui tantas possideas opes, cum a patre nihil tibi sit relictum?* Refert Plutarchus in illius vita<sup>5</sup>.

---

<sup>1</sup> Sophronius Eusebius Hieronymus, Stridonensis (347-420), Ecclesiae pater itemque doctor, litteratissimus, Sacra Biblia in latinum est interpretatus.

<sup>2</sup> *Epistola CXX Ad Hedibiam, De Quaestionibus*, 1 : «Omnes divitiae de iniquitate descendunt; et nisi alter perdiderit, alter non potest invenire». Unde illa vulgata sententia... et q. s. A multis scriptoribus laudata haec est sententia, velut a Petro Abelardo et Poggio Bracciolini.

<sup>3</sup> Cfr. Ἔργα καὶ ἡμέραι, 763-764:

φήμη δ' οὐ τις πάμπαν ἀπόλλυται, ἦντινα λαοὶ  
πολλοὶ φημίξωσι· θεός νύ τις ἐστι καὶ αὐτή.

<sup>4</sup> Κόλαξ.

<sup>5</sup> Aliter: Ubi nummus loquitur, et lex omnis tacet, vel et Tulliani eloquii tuba raucescit.

Χρυσοῦ λαλοῦντος πᾶς ἀπρακτεῖτω λόγος,  
Πείθειν γὰρ οἶδε καὶ πέφυκε μὴ λέγων,

id est

*Auro loquente ratio quaevis irrita est,  
Suadere si quidem novit et loquens nihil.*

Proverbium indicat munera ubique longe plurimum valere. Vulgaris jocus ait tinnulas rationes<sup>6</sup> praecipuam habere vim ad persuadendum, pecuniam indicans.

---

<sup>6</sup> De pecunia sonante cfr. e Plauti *Pseudolo* (307 seqq):

CALIDORUS. Nilne te miseret? BALLIO. Inanis cedis, dicta non sonant, atque ego te vivom salvomque vellem. PS. Eho an iam mortuost?

BAL. Utut est, mihi quidem profecto cum istis dictis mortuost: ilico vixit amator, ubi lenoni supplicat.

Semper tu ad me cum argentata accedito querimonia; nam istuc quod nunc lamentare, non esse argentum tibi, apud novercam querere.

In eos, qui corrupte judicant aut suffragium ferunt non ad reipublicae commodum, sed ad privatum commodum respicientes, sive qui per tyrannidem leges opprimunt, competet illud ex eodem libro<sup>7</sup>:

Οἱ βίη ἐν ἀγορῇ σκολιὰς κρίνωσι θέμιστας,  
Ἐκ δὲ δίκην ἐλάσωσι, θεῶν ὅπιν οὐκ ἀλέγοντες,

id est

*Qui per vim in populi coetu communia jura  
Depravant ac justitiam depellere tentant  
Nil veriti vocem divum.*

---

<sup>7</sup> *Iliados* XVI, 387-8 Quo libro inter alia Patrocli mors enarratur. Locum sic Vincentius Monti ille noster est interpretatus:

Come d'autunno procelloso nembo  
Tutta inonda la terra, allor che Giove  
Densissime dal ciel versa le piogge  
Quando contra i mortali arma il suo sdegno,  
**I quai, cacciata la giustizia in bando** 550  
**E la vendetta degli Dei schernita,**  
**Violente nel fôro e nequitose**  
**Proferiscon sentenze:** allor furenti  
Sboccan ne' campi i fiumi; giù dal monte  
Precipitando le sonanti piene 555  
Squarcian le ripe, e nel purpureo mare  
Devolvonsi muggiando, e del cultore  
Corrompono la speme e la fatica:  
Così gementi corrono e sbuffanti  
I troiani cavalli.

*Chiliadis tertiae centuria quinta*  
**2474 - Sutorium atramentum**<sup>8</sup>

Tullius libro Epistolarum nono ad Paetum<sup>9</sup>: *Jam pater ejus accusatus [est] a M. Antonio, sutorio atramento absolutus putatur.* Subesse videtur proverbium. Sentit, opinor, hominem absolutum fuisse judicum corruptela non citra infamiam. Est enim hujusmodi atramentum, ut neque magnopere atram imprimat notam neque nullam tamen illinat maculam<sup>10</sup>. Infamiam enim atramenti symbolo poetae significant, ut Horatius<sup>11</sup>:

*Hic nigrae succus loliginis, haec est  
Aerugo mera.*

Is quidem succus quidam est, quem plerisque mollium piscium, maxime sepiis, inesse scripsit Aristoteles libro De partibus animalium quarto; eum tunica contineri membranea, emitti vero fistula quadam; quem effundunt in metu et aquam infuscant, ne queant deprehendi. Rursus Horatius<sup>12</sup> :

*Sed veluti tractata notam labemque remittunt  
Atramenta, fere scriptores carmine foedo  
Splendida facta linunt.*

Caeterum, quod Graeci chalcanthum appellant, Cornelius Celsus<sup>13</sup> fere vertit sutorium atramentum, cujus frequenter meminit in Medicinis, praesertim libro quinto. Colligitur ex aere. Unde Graecis nomen *χάλκανθος*, quasi dicas flos aeris<sup>14</sup>. Unde suspicor magis dici maculam, quam aegre possis diluere. Nam atramentum, quod scriptorium vocant, facilius diluitur nec inhaeret corio. Plinius in epistola simili figura dixit: *Vitelliana cicatrice stigmosum*.<sup>15</sup>

---

<sup>8</sup> Tria sunt genera atramenti apud antiquos: scriptorium seu librarium, tectorium seu pictorium, sutorium.

<sup>9</sup> Epistola DCLVII satis nota, cujus hi duo loci laudari solent «Verumtamen, quid ego in epistolis videor? Nonne plebejo sermone agere tecum?» et «Epistolas vero cotidianis verbis texere solemus», ex quibus cognoscitur quid sit genus submissum scribendi.

<sup>10</sup> Longe aliter sentiunt recentiores, quibus sutorium atramentum habetur pro veneno.

<sup>11</sup> Sermo I, IV, 99. Refertur falso amico, extrinsecus albo, intus atro, sicut sepia.

<sup>12</sup> Epist. II, 1, 235 seqq.

<sup>13</sup> Aulus Cornelius Celsus, Narbonensis (25 a.Chr. - 50 p.Chr.), medicus, polygraphus.

<sup>14</sup> Aquae atramentosae seu vitriolicae vel fortes vocabantur, quae Monte Catini e terra scaturiebant, ferro, calcitidi, chalcanto admixtae.

<sup>15</sup> Epist. I, 5, ad Voconium. Quasi servus fugitivus nota factionis Vitellianae inustus.

*Chiliadis quartae centuria tertia*  
**3244 - Plurium calculus vincit**

Τῶν πλειόνων ψῆφος νικάῃ,  
id est

*Plurium calculus vincit.*

Quoties in consilio ceditur multitudini. Plinius in Epistolis<sup>16</sup> queritur numerari sententias, non expendi. Et Livius<sup>17</sup>: *Pars, inquit, major meliorem vicit.*

---

<sup>16</sup> Epist. II, 12, 5: «Sed hoc pluribus visum est. Numerantur enim sententiae, non ponderantur».

<sup>17</sup> A.U.c. XXI, 4, 1: «Pauci ac ferme optimus quisque Hannoni adsentiebantur, sed, ut plerumque fit, major pars meliorem vicit».